

non nuda sed habitualis & perfecta, quæ etiam quodammodo forma est l. 2. Phys. c. 1.

Atque sic habebimus prima principia generabilium in actu exercito & determinatè, quæ Aristoteles l. 1. Phys. in actu signato tantum & indeterminatè nomine (duorum contrariorum) formæ & privationis, & (subjecti contrariorum) materie indigitavit. Prima scil. forma & prima privatio, seu calor & frigus elementorum sunt prima contraria, quibus ut commune subjectum, prima materia adjungenda venit: Hæc sunt tria illa elementa, s. principia elementaria generabilium de quibus, V. l. 2. de gener. & corrupt. c. 1. l. 12. (14) Met. c. 2 & 4.

Vnde Manifestum. 1. Dari prima generationis principia contraria.

2. Dari privationem, quæ principium Physicum appellari possit, & primam privationem eamque habitualem & perfectam, frigus, inter prima principia generationis reponendam.

3. Dari primam rerum per naturam genitarum formam, calorem.

4. Dari primam materiam, quæ sit primum omnis generationis & corruptionis subjectum, ipsam communem elementorum materiam. De quibus alibi pluribus.